

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Dispvtatio IV. De sacra scriptura

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

item Franciscus Stancarus Mantuanus antagonist^a Osiandi: sed secundum quod & Deus est & homo, adeoque Mediatorem, Redemptorem & Salvatorem nostrum esse secundum utramque naturam.

DISPUTATIO IV.

DE SACRA SCRIPTURA.

THESES I.

UNAM Dei simplicissimam essentiam, & in unâ illâ essentiâ tres verè & realiter distinctas personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum demonstravimus, quæque eô pertinebant, ut ratio instituti serebat, explicavimus.

II. Nunc progrediendum ad Voluntatem Dei, ut videamus, quoniam cultu ipse à nobis coli velit, quomodo in nos affectus sit, quæque *κατὰ τὴν βολὴν τῆς θεοφάσεως* media ordinaverit, per quæ ē miserijs, in quas Adami, parentum & propriâ culpâ prolapsi sumus, eripiamur, & ad æternam illam beatamque vitam, plenamque & perfectam Dei trinunius cognitionem perducamur.

III. Hanc autem divinam voluntatem, per divinum verbum innotescere, nemo credo ausit negare. Hoc vero verbum, quo nimur se suamque voluntatem Deus nobis patescat, alij esse volunt, non quod in libris Propheticis & Apostolicis scriptum habetur, sed quod unicuique privatim spiritus dicit & revelet.

IV. Alij scriptum licet verbum recipient, hoc tamen ambiguum & obscurum esse dicunt, cuius sensus ideo ex ipso ejus contextu deprominon possit, sed depe-

H 3

deat

deat ab interpretatione Ecclesiæ; versionem quoque pro fonte obtrudunt, & libros complures adjiciunt, neque libros tantum, sed præter libros traditiones non scriptas pari pietatis affectu & reverentiâ suscipiunt ac venerantur.

V. Prioris erroris auctores sunt Th. Munzerus, Schwenceldius, Libertini & alij Euthusiastæ. Postiores omnes defendunt Pontificij.

VI. Quum veritatem cœlestem veritatis auctor & conservator Deus ministerio Martini Lutheri denuò in orbem reduceret, & discussis Antichristianis regni Pontificij, quod jam aliquot secula floruerat, tenebris fulgorem divinæ lucis ubique locorum radiare juberet, exorienti huic soli, pro more suo, quem antiquum obtinet Satanæ, nebulam quā potuit, effudit.

VII. Excitavit enim qui veritatem impugnarent, non modo è lustris Papatus Antichristi parasitos & satellites; verū ex ipsis illis qui contra Pontificem facerent, & crassos ejus, ostendente Luthero, errores agnoscerent, prodire fecit, qui renascentem doctrinam quoquo modo discerperent, adfligerent & impedirent.

IX. Horum primus fuit Andreas Bodenstein Carlstadius, qui Luthero propter proscriptionem Cæsaris V Vartburgi agente statuas è templis ejecit, & postea ab ipso aperte dissensit & discessit.

IX. Sequuti sunt alij, qui nec nesciente, nec improbante Carlstadio, colloquium sibi cum Deo esse fingebant, & mandatum habere se dicebant, ut impijs omnibus imperfectis novum constituerent mundum, in quo soli pij & innocentes rerum potirentur.

Sieid. b. 5.

X. Ex hoc hominum genere fuit Thomas Munzerus

zarus Stolbergensis, concionator Alstetii in Thuringia, unde ejectus Noribergam venit, & inde pulsus Mulhusium: qui prodigiosam illam rusticorum seditionem excitavit, quæ non sine ingenti ipsorum strage comprimebatur A.C. c. 15xxv, Thomasque Franchusij quo profugerat captus, Helderungum deductus, & inde in castra ante Mulhusium reductus, capitis pœnam luit.

XI. Duo fuerunt præcipui furores Thomæ, Unus de abolendo Magistratu; alter de negligendo verbo scripto, & exspectandis & magnificiendis adparitionibus, signis & somnijs.

XII. Utrumque unà cum pluribus alijs de novo superadditis amplexi sunt Anabaptistæ, qui in Monasteriū urbem VVestphaliæ magno numero confluxerunt auspicij Berni Rotmanni concionatoris Apostatae, & Ioannis Sartoris Leidensis, Regis personati; de quo, urbe A. C. c. 15xxxv die Ioannis Baptista capti, suppliçium sumtum est A. C. c. 15xxxvi, postridie Sebastiani, 22. Ianuarij. Sleid. l. 10.

XIII. Ex officinâ Munzerianâ prodijt etiam Caspar Schwenckfeld ab Ossing, nobilis Silesius, qui & ipse complures errores adinvenit, & suum feciteum, qui est de verbo scripto, quod ex II Cor. III, 6 literam occidentem dicebat, atque inefficax & inutile esse.

XIV. Ejusdem farinæ sunt Libertini, auctoriibus Copino Insulano Flandro, & Quintino Sartore Hannonio exorti circa A.C. c. 15xxix. De quorum erroribus, moribus & vitâ vide Calvini instructionem adversus eosdem.

XV. Hic furor haud operosâ refutatione indigeret. Doctorum enim & ductorum inscitia, impudentia, scele[rata] vita, demum tragicus exitus, & doctrinæ unâ cum suis auctoriibus interitus abundè demonstrat non fuisse à Deo

64 DE SACRAE SCRIPTURÆ

Deo & Spiritu sancto, quæ animo isti homines conceperant & agitaverant. Nam si ex Deo fuissent, dissolvi non potuissent, Act. v. 38.

XVI. Quanquam Deus ipse eis è diametro repugnat. Iosuæ enim mandat, ne recediat ab ore ejus volumen legis. Christus allegat Legem, Psalmos & Prophetas, provocat ad scripturas, disputat è scripturis, & scrutamini inquit scripturas, quoniam ipsæ sunt, quæ testantur de me. Ioannes testimoniū suæ vocationis facit scripturam. Paulus fidem ex auditu esse dicit, auditum autem per verbum Dœi. Item scripturam divinitus inspiratam & utilem esse ad docendum ad arguendum. Petrus ait: Habemus firmorem propheticum sermonem, cui bene facitis adtendentes lucenti tanguam lucernam in loco caliginoso.

XVII. De Berrhoënsibus cum laude commemoratur, quod auditâ prædicatione Pauli scripturas scrutarentur, an hæc ita se haberent.

XIX. Demum cur Deus ea scribi voluisset, & scripta conservasset, si eorum nullus futurus usus?

XIX. Et quum regula fidei ac religionis certa esse debeat, (nisi enim certa sit, regula non erit) & immota; quid econtra cogitationibus, speculationibus, signis & somnijs contemtius, vanius & fallacius esse potest?

XX. Ab hac blasphemia quæ non procul absint Pontificij, mox, si primò numerum, ordinem, & distinctiones librorum sacrorum recitaverimus, declarabitur.

XXI. Sacra scriptura dividitur in libros V. Test. & Novi. *Vetus* illud est, quod ante natum Christum instinctu Spiritus sancti conscriptum, Christum venturum promittit, typisque ac figuris adumbrat. *Novum* complementa promissionum quæ in Veteri habentur, continet; nempe

SCRIPTU-
RÆ S. DI-
VISIO.

nempe Christi nativitatem, acta, passionem, resurrectionem & adscensionem describit, & salutem per fidem in hunc Christum impetrari perspicue docet.

XXII. Vetus solum à Iudæis recipitur. Repudiabatur olim à Simonianis, Marcionitis & Manichæis.

XXIII. Dividitur à Christo in Legem, Psalmos & Prophetas, Luc. ult. v. 44. Alibi in Mosen & Prophetas, Luc. xvi, 29. ubi Psalmi Prophetisadcentur.

LIBRI CA-
NONICI
VETERIS
TESTA-
MENTI.

XXIV. A Iudæis dilpectitur in IV. ordines.

XXV. Primus inscribitur חמשה חומשי תורה Quinque quinquerniones Legis, sive Lex partita in V. libros, quorum auctor indubitatus est Moseh. Hisce tamquam adpendices subjunguntur libri festivitatum, quos Judæi in solennibus suis festis legere conveverunt; nempe Canticum Canticorum Selomonis, quod legunt in festo Pesach: in festo autem hebdomadum sive Pentecostes librum Ruth: in festo Tabernaculorum Ecclesiasten legunt. Threni Jeremiæ prophetæ, quibus templi & urbis desolationem deplorat, leguntur septimo die mensis quincti, hoc est, VII. Eid. Sextil. quo templum mandato Nebucadnezaris exultum fuit. Volumen Esther legunt diebus Purim, qui sunt XIV & XV mensis Adar, ut recolant memoriam admirandæ istius liberationis è sanguinolentis Hamanis machinationibus, temporibus Ahasevæ; quem quidem Josephus Artaxerxes adpellat; alij tamen Xerxes esse malunt.

I. nr. Antiq.
cap. 6.

XXVI. Secundus ordo continet נביאים ראשונים Prophetas priores; nempe librum Josuæ, Judicum, duos Samuelis & duos Regum.

XXVII. Tertius Propheta postiores, Jesaiam, Jeremiam, & Jezechielem (nam Daniel

DE LIBRIS

66

lem ad quartum detrudunt) majores : & xi minores, Hoseam, Ioëlem, Hamos, Hobadiam, Ionam, Micham, Nahum, Habacuc, Sephaniam, Haggæum, Zachariam, Malachiam ; qui omnes pro uno libro habentur, unde Stephanus A. Et. vii, 42, ubi ex Hamos cap. v, vers. 25 & seqq. quædam in testimonium adducit, ea in libro Prophetarum scripta esse dicit. R. David Kimhi Comeniarium suum in eosdem ita orditum : *Hic liber est coagmentatus ex XII Prophetis. Dixerunt Doctores nostri simul esse compactos, ne liber ex illis periret propter brevitatem suam, si quisque per se distinguitus esset.* Ita verit Mercerus.

XXIX. Quarti titulus est *ספר כתובים* Liber scriptorum, nempe à Spiritu sancto, ut ita ab eo quod omnibus commune est, hanc partem denominaverint. Continet Psalterium; Proverbia; Iob; Danielem; librum Hezræ & Nehemiæ, qui apud ipsos cum superiori conjungitur, & secundus Hezræ dicitur; Paralipomena, Hebræis וְבָרִירִים Verba dierum sive Chronologiam, nempe primo libro annorum १०८५ १३४४३३३, ab Adamo condito ad obitum Davidis; & secundo annorum १०५, à principio regni Selomonis ad finem captivitatis Babylonicae.

XXIX. Hæc veteris Testamenti volumina à Judæis in Canone habentur, suspiciuntur & sanctè custodiuntur.

XXX. Quoniam verò Judæi tanquam librarij nostri sunt, quibus Deus sacros V. T. libros tradidit, commisit, & à quibus in nostrum usum conservari voluit, sicut in eptè faciunt qui horum aliquem rejiciunt, ita absurdè præter hos recipiunt Pontificij alios, Hebræis ignoratos, eisque tantun-

tantundem auctoritatis adtribuunt, ut habeant unde suis quisquilijs qualemcumque penulam mutuentur.

XXXI. Deinde primitiva Ecclesia, quæ optimè novit libros sacros & rationem eorundem, & à quâ quod testimonium recentior accepit, propagare debet, non mutare, eosdem in Canone ponit, non alios. Neque verò si de quibus dubitarint majores, non poterunt dubitare posteri: neque tribuere aliquibus, quod non tribuit antiquitas.

XXXII. Vide Melitonem Sardensem sive Asiam in Ep. ad Onesimum apud Eusebium *tib. IV, c. XXV.* qui nescio an singulari consilio voluminis Esther non meminerit, an descriptorum incuria catalogo exciderit. Idem quoque volumen extra Canonem posuit Athanasius in Synopsi, quanquam apud Hebreos pro canonico haberet dicit. Deinde consule Origenem apud Eusebium, *lib. VI, c. XIX.* Nazianzenum carmine de genuinis scripturæ libris; quod concludit ita, ut dieat: *Quidquid extra hæc invenitur, inter adulterinos libros numerandum est.* Epiphanius *libro de pond. & mens.* Item *lib. V, tom. I, hœr. IIX.* Damascenum *lib. IV de fide orth.* *c. XIII.* Hieronymum *in prologo Galeato.* Cyprianum sive (ut alij rectius judicant) Rufinum *in expositione Symboli.* Hilarium *prologo in explanationem psalmorum.*

XXXIII. *Synodus quoque Laodicena eosdem, non autem plures in auctoritatem recipi, & in Ecclesijs legi Jubet.* Celebrata est circa A. C. ccclxix, & confirmata in sextâ generali, Constantinopolis in Trullo habitâ.

XXXIV. Hi itaque sunt Veteris Testamenti libri Canonici, ita dicti, quoniam canon sint & regula veritatis; sic enim Scripturam adpellat Tertullianus, & Chrysostomus

Hom. 13. in
a. Corinth. sostomus ἀπόλυτον ζύγον τοῦ γραμματοσημαντήρα. Augustinus stateram divinam lib. II de Bap. contra Donatistascap. VI.

LIBRI A-
POCRYPHI Sequuntur Apocryphi, hoc est, occulti, incerti sive dubij, ab Hebreis & primitivâ Ecclesiâ non recepti.

Cap. 6. v. 9. XXXV. Inter hos primus sit liber Tobiæ, qui semetipsum Canonicum non esse satis demonstrat, dum Archangelo Raphaëli ministeria tribuit, qualia angelorum non sunt. Insuper ipsum Raphaëlem introducit dicentem: *Cordis pectoris particulam, si super carlones ponas, fumus ejus extirpat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* Quasi verò hujusmodi armis debellentur principes & potestates, rectores mundi & tenebrarum seculi hujus, illa spiritualia in cœlestibus.

XXXVI. De libro Iudith in prologo ejus ait Hieronymus, quod ipsius auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentione veniunt, minus idonea judicetur. ¶ Certè peccat historia in rationem temporum enormiter. Nam cap. v, 21 dicit Achior: *Captivi ducti sunt in terram non propriam, & templum Dei eorum factum est in pavimentum, & civitates eorum captæ sunt ab adversariis: & nunc conversi ad Deum suum ascenderunt de dispersione qua dispersi erant illic, & possederunt Hierusalem, ubi sanctuarium eorum.* Accidit itaque post captivitatem Babylonicam: at tunc nullus fuit Arphaxat aut Nabuchodonosor, quorum capite primo mentio fit. Deinde Bethulia in Judæis nulla; sed nomen confictum, sicut Iudith & Holofernes. Demum nihil ejus habet Josephus historicus fidelissimus ac diligentissimus.

XXXVII. Hic igitur liber, quemadmodum quoque liber Tobiæ, argumentum potius videtur piæ religiosæque fabulæ aut comœdix, quam vera historia.

XXXIX.

XXXIX. Sequuntur libri Maccabœorum primus & secundus. De secundo notetur, quod primo aliquoties contradicat. I Maccab. cap. ix occumbit Judas Maccabœus, anno Græcorum sive Seleuci CLII. Idem II Maccab. c. i literas scribit ad Aristobolum Anno CLXXXIIX, hoc est, XXXVI anno post obitum suum. Idem I Maccab. cap. IV sanctuarium purgat ante mortem Antiochi: II Maccab. cap. X post obitum Antiochi. Primo Maccab. cap. VI Antiochus in Persiâ ex mœrore mortuus esse scribitur: II Maccab. cap. I in templo Naneæ lapidibus obrutus & membratim dissectus; rursus cap. IX peregrè inter montes vitam finisse. [¶] Consarcinatus autem est hic liber ex libris Jasonis Cyrenæi, ut fatetur auctor cap. II, 24. qui & ipse sub finem veniam petit, si misericordia bene dixerit. Hæc autem quæm recte Spiritui sancto auctori canonicarum scripturarum convenient, quis non videt?

XXXIX. Porro primo lib. cap. VI Eleazarus; & secundo libro cap. XIV Razias, (qui tamen timidè potius quam generosè mortuus est) laudantur. Dicit autem Augustinus: In sanctis Canoniceis libris, nusquam nobis præceptum permisum ve reperi potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carenti, cavendive mali causa nobismetipſis necem inferamus. Unde colligere licet, Augustinum hosce libros pro sanctis & Canoniceis non habuisse. Gregorius quoque Magnus ille Episcopus Romanus, quando ex primo Maccabœorum Eleazari exemplum adducit, eos libros canonicos non esse, sed tamen ad ædificationem ecclesiæ editos, testatur.

XL. De libro Baruch, (adscribam verba ipsius Belarmini, quæ poterunt esse prodigijs loco) controversia fuit

I 3

¶ est,

I. de civit.
cap. 20.

I. 19. Moral.
cap. 13.

DE LIBRIS

70
Est, tum quia non invenitur in Hebreis codicibus, tum etiam quia nec Concilia antiqua, neque Pontifices, neque Patres, qui catalogum librorum sacrorum texunt, hujus Prophetæ disertis verbis meminerunt. Itaque ex Catholicis Io. Driedo hunc librum negat esse canonicum. Ceterum nobis contrarium persuadet Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, qua in concilio Tridentino. Sess. IV Prophetam Baruch inter sacros libros numerat: & in profecto Pentecostes palam lectionem ex libro Baruch legi jubet. Nec desunt etiam veterum Patrum testimonia. Hactenus Bellarminus.

XLI. Quod concilium Tridentinum nobis oponit, plusquam ridiculum est. Nec majoris facimus ipsius Ecclesiam; quanquam ea ipsa libri quarti Hezræ, (quem nobiscum Canonicum esse inficiantur) sententias aliquot in sacro sanctæ suæ missæ mysterio, & in publicis suis preicationibus usurpat feriâ tertią Pentecostes, & in solemnitatibus Martyrum, teste Pererio lib. XV. Comment. in Daniel.

XLII. Quin eudem citat Ambrosius & Cyprianus; Pastorem Hermetis Origenes, Tertullianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Cassianus: teste ipso Bellarmino. Hinc igitur satis manifestum, non statim Canonicum librum esse, quia citetur à Patribus.

XLIII. Liber Sapientiæ & Ecclesiasticus, quos Solomon adtributunt, ejusdem sunt conditionis.

XLIV. Neque enim ab antiquis solùm non recensentur cum canonici: sed aperte extra canonem ponuntur. Hieronymus in Galeato. *Quidquid extra hoc est, inter Apocrypha est ponendum.* Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Iesu filij Sirach liber & Judith & Tobias & Pastor non sunt in Canone. Maccabæorum primum librum Hebraicum reperi. Secundus Græcus est, quod ex ipsa quin-

quidem plurimi probari potest. In prologo Proverbiorum. Fertur & Panaretos Iesu filij Sirach liber, & alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi. Secundus apud Hebreos misquam est, quin & ipse stylus graecam eloquentiam redolet, & nonnulli scriptorum veterum hunc esse Judaei Philonis affirmant. Sicut ergo Iudith & Tobiae & Maccabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos in canonicas scripturas non recipit, sic & haec duo volumina legat ad edificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Athanasius in Synopsi. Praeter Canonicos sunt adhuc alijs V. Instrumenti libri non Canonici, qui catechumenis tantum leguntur, Sapientia Salomonis, Sapientia Iesu filij Sirach, Esther, Iudith, Tobias. Ipsi sunt libri V. Instrumenti non Canonici. Quidam vero ex veteribus apud Hebreos pro Canonis reputari dixerunt librum Esther. Epiphan. lib. de pond. & mens. Salomonis Sapientia & Sapientia Iesu filij Sirach in numerum receptorum non referuntur. De iisdem libris Damascenus lib. iv, cap. xix. Pulchri hi quidem libri & honesti, sed non numerantur in Propheticis libris, neque ponebantur in arcu. Rufinus in exposit. Symboli : Sciendum quod & alijs libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à majoribus appellati sunt, ut Sapientia Salomonis & Iesu Sirach, Tobias, Iudith, libri Maccabaeorum; quæ omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen profersi ad auctoritatem, ex his, fidei confirmandam. Horum auctoritatem sequuntur ex recentioribus complures, Rabanus Maurus, Hugo & Richardus de S. Victore, Nic. Lyranus, Dionysius Carthusianus, & inter ipsos Pontificios nonnulli.

XL V. Demum magnum contra hos libros argumentum est, quod nullus eorum utut prolixus in N. T. ullo modo adlegetur aut citetur. Non igitur à Christo

&c

DE LIBRIS

72 & Apostolis adprobantur: imò apertè rejiciuntur per illam distinctionem, quā Christus libros V.T. dividit in Legem, Psalmos & Prophetas. Constat enim à temporibus Malachiæ nonvixisse in populo Judaico Prophetas.

XLVI. Manifestum est igitur, nisi servetur hæc inter Canonicos & Apocryphos libros distinctio, concilari testimonium primitivæ Ecclesiæ, convelli auctoritatem universæ scripturæ, ostensâ nimirum fallitate & contradictionibus ex Apocryphis. *Admissò enim semel*, ut re&t;e monet Augustinus, *in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cinq̄ videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis cādem pernicioſissimā regulā ad mentientis auctoris consilium officiunq̄ referatur.*

Ep. 3. XLVII. Fragmenta quoque librorum, quæ neque apud Hebræos inveniuntur, neque antiquitatis suffragia meruerunt, neque convenient cum ipsis libris, in canone ponunt Pontificij, ut in Esther ix capita; in Daniele hymnum trium puerorum; historiam Susannæ; item Belis & Draconis, quas fabulas adpellat Hieronymus.

XLIX. Orationem Manasse; Hezræ lib. tertium & quartum; Maccabœorum tertium nobiscum rejiciunt.

LIBRI No-
VI TESTA-
MENTI
XLIX. Tantum de libris V. Testamenti dictum esto. Sequitur Novum, ubi primū se offerunt IV Eu-
angelia.

L. MATTHÆUS primus scripsisse traditur, & qui-
dem Hebraicè, à Judæis ad gentes transiturus: unde Euse-
bius Evangelium secundum Hebreos adpellat, l. III, cap.
XXI. & cap. XIIIX, clarè dicit Evangelium hoc patrio ser-
mone ab auctore conscriptum; quod itidem apud eum-
dem lib. eodem cap. ult. Papias testatur. Confer Irenæum.
l.I, cap.

I.I, cap. XXVI; & I.III, cap. I; Epiphanius I.I, tom. II, hær. XXIX; Chrysostomum in Matthæum & Theophylactum, qui ait : *Matthæus omnium primus scripsit Evangelium Hebraico idiomate, ad eos qui ex Hebreis crediderant, post IIX annos adsumti in cœlos Christi. Porro Joannes Græcè, ut ferunt, interpretatus est. At Marcus post X annos adsumti Christi ex ore Petri edocitus scripsit. Lucas autem post XV annos. Denique Joannes rerum divinarum peritiſsimus post XXXII. Hæc Theophylactus.* MARCUS itaque discipulus Petri roga-
 tu auditorum Petri scripsisse ab Eusebio narratur, ipsam-
 que scriptiōnem à Petro comprobatam esse. *Marcus di- hift. I.2.c.15.
 scipulus & interpres Petri, ait Irenæus, & ipse quæ adnunciata
 erant, præscripta nobis tradidit.* Eadem repetit Hieronymus
in Catal. c. IIX. LUCAS ipse ideò se scribere dicit, ut Theo-
philus cognoscat eorum, in quibus eruditus sit, ἀπόλετος.
JOANNES omnium consensu ultimus scripsit, præcipue
divinitatem Christi contra Ebionem & Cerinthum, ut su-
prà quoque adnotavimus, adstruens, atque ea persequens
quæ reliqui præterijisse videri poterant.

L. I. Acta Apostolorum à Lucâ memoriae conse-
 crata sunt, nempe Missio Spiritus sancti, Martyrium
 Stephani, Conversio Pauli, Synodus Apostolorum, iti-
 nera, prædicationes, carceres, præcipue Pauli, usque
 quod Romam venit, ubi in liberâ custodiâ biennium
 mansit.

L. II. Pauli Epistolæ indubitate tredecim sunt: Ad Romanos; Duæ ad Corinthios; ad Galatas; ad Ephesios; ad Philippenses; ad Colossenses; Duæ ad Thessalonicenses; totidem ad Timotheum; una ad Titum, & una ad Philemonem.

L. III. De Epistolâ ad Hebreos ambigitur, an Pauli
 sit.

DE LIBRIS

74
sit. Neque enim Pauli nomen, ut ceteræ omnes, præsum habet; neque phrasæ Paulinæ congruit. Cap. 11, v. 3, dicit: *Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? que cum primùm enarrari ceperit per Dominum, ab ijs qui ipsum audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis & varijs virtutibus.* At Paulus nulli mortalium Evangelium suum acceptum refert, Gal. 1, 12. Neque opus habebat, ut confirmaretur in ipso, qui id à Deo didicerat, & plurimis miraculis ipse confirmarat.³ Quanquam igitur auctoritatem huic epistolæ non detrahimus, Pauli tamen esse non putamus.

LIV. Unde & Hieronymus de eadem in Catalogo:

Cap. 5. Epistola quæ fertur ad Hebreos, non ejus creditur, propter stylis sermonisque dissonantiam, sed vel Barnabæ, juxta Tertullianum: vel Luce Evangelistæ, juxta quosdam: vel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi, quem ajunt sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone. In eâdem sententiâ est Catus antiquus Doctor & auctor apud eundem, & apud Eusebium Historiae lib. VI, cap. XIV.

LV. Addit tamen Hieronymus, Paulum fortè ad Hebreos scripsisse, & propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputasse.³ Sunt certè multò plures, qui eam Paulo tribuunt, neque aliud fuerit omnes eos recensere, quam tempore abuti. Quoniam verò Canonica & a Spiritu sancto profectam eam esse concedimus, supervacaneum est de auctore litigare: Paulo autem indubitate adtribuere, fortè temerarium.

hist. I. 3. c. 5. LVI. Petro duæ tribui solent Epistolæ, de quibus Eusebius in hunc modum: Una Petri Epistola, quæ prior esse dicitur, omnium consensu est adprobata. Hanc quasi extra omnem controversiam positam, veteres in suis scriptis citarunt.

Eam

NOVI TESTAMENTI.

75

Eam autem, quæ illius secunda fertur esse Epistola, non ita auctoritate & testimonio veterum confirmatam accepimus. Verum cum plerisque per quam utilis videretur, unà cum alijs scripturis studiosè perlegi perdiscique solita est. Et post: Ex scriptis Petri unam solam Epistolam germanam novi, eamque summo antiquorum presbyterorum consensu adprobata.

LVII. De Jacobi Epistolâ merito dubitatur. Jacobus enim frater Domini, qui & Major & Justus cognominabatur, cùjus volunt esse Epistolam, martyrium perpessus est A. C. XLIIII, cum nuper Imperium acceptisset Claudio. Iste vero Jacobus scribit post excidium Solymarum, XI tribubus dispersis. Deinde planè mutus est de merito & satisfactione Christi, & fide in Christum, quæ urgere solent & debent Apostoli; præsertim cùm eo tempore scribat & ad eos, ad quos maximè opus, alioquin legi & ceremonijs nimium addictos. Atque Eusebius de hist. I. 22
eâdem in hunc modum: Ιστορίας τοῦ Ιησοῦ Χριστοῦ. Non enim nulli veterum ejus mentionem faciunt, sicut nec ejus quæ Judæ dicuntur, quæ & ipsa una est se ptem quas Catholicas adpellant. Attamen scimus & ista cum reliquis in plurimis ecclesiis publicè legi.

LIX. De Judæ ramen Epistolâ magis adhuc dubitari potest, quum adleget Apocrypham historiam concertationis Archangeli & Diaboli de corpore Mosis, & citet vaticinium de libro Apocrypho Henoch. Dicit quoque: *Memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.* Et subjungit verba Petri, ex secundâ ep. cap. IIII, vers. 3. *vers. 17*

LIX. De Epistolis & Apocalypsi Joannis Eusebius in hunc modum: *Prior ejus epistola cùm à recentioribus tūm à veteribus absque ullâ hæfitatione recipitur. Reliquis vero duabus* hist. I. 3. 21 & 22

K 2.

bus

DE FONTIBUS

76
bus contradicitur. De Apocalypsi etiamnum apud multos disper-
est opinio, probantibus illam alijs, alijs verò reprobantibus.

LX. Atque hæc etiam sunt scripta Novi fœderis,
cùm indubitate, tum de quibus aliquando dubitatum fuit;
quamquam nos de ijs nemini litem movebimus.

FONTESS.
SCRIPTU-
RÆ.

LXI. Scriptum autem est sacrum volumen princi-
pio & ab ipsis auctoribus, duabus linguis; Novum qui-
dem Græcâ, nisi quod, ut adnotavimus, à plerisque exci-
piuntur Evangelium Matthæi & Epistola ad Hebræos:
Vetus Hebræâ illâ antiquâ, quæ cōœva mundo & in solâ
familia Heber, cum linguae confunderentur, salva reman-
dit. Nam quæ in usu erat temporibus Christi & Aposto-
lorum, Hebraica quidem adpellabatur, verū erat Syria-
ca, quæ in prioris locum successerat tempore captivita-
tis Babylonicæ, nata ex mistione Chaldaicæ & Judaicæ.
Chaldeæ verò dialecti usus est in libro Hezræ à capitis iv,
v. 8, usque ad cap. vii, versum 27; ubi decreta Regum
Persicorum referuntur: & in Daniele à cap. xi, v. 4, usque
ad caput octavum: & in Jeremiâ cap. x, versu unico, co-
quæ undecimo. Qui Jobum alio quâm Hebræo idioma-
te loqui censem, falluntur: habet autem accuratum dele-
ctum verborum, ut commune dicendi genus exceedere vi-
deatur, neque caret metris; quibus etiam scriptos constat
Psalmos, & Threnos, & Proverbia, & Cantica quæ libris
inserta legimus, quamquam rationem ea metiendi memo-
riâ hominum excidisse arbitror.

LXII. Hoc quoque constat, auctores nonnullorum
librorum ignorari, neque quicquam certi aliunde erui
posse. De istis itaque omnibus, quod de tino Jobi libro
præf. in Gregorius Magnus recte monuit, obtineat: *Quis hæc scri-
pserit, valde supervacaneè queritur, cùm tamen auctor Sp. si-
deliter*

deliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, eaque quo calamo essent scripta quæreremus, ridiculum profectò esset, si non epistolarum auctorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare staderemus. Cum ergo rem cognoscimus, ejusque rei Sp. S. auctorem tenemus, quia scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo perscrutamur?

LXIII. De sectionibus in capita & versus notetur ex Balœo cent. III, cap. LXXXVII, (ut citant Magdeburgen-
ses) Stephanum Longthonum Archiepiscopum Cantua-
riensem, qui A. C. cccc xxvii i vitâ funetus est, distinc-
tionis in capita auctorem esse; neque enim ante ea tempo-
ra capitum apud ullos usus: distinctionem autem in ver-
sus cepisse patrum memoriâ.

LXIV. Porrò non sine singulari providentiâ divinâ integri servati sunt fontes, ipsis Judæis in id incredibili di-
ligenziâ &c religione incumbentibus.

LXV. Confecerent volumen quod Mazzoreth, latine Exhibitionem adpellant; in quo omnium in Biblijs versuum, vocabulorum, & literarum summa subducta exhibetur, indicatur præterea, quot literis singuli libri constent, ubinam medium, ubi quarta adnotetur pars; quot præter communem scriptionem majores, quot mi-
nores, quot mediocres literæ, quæ etiam permutata ob-
serventur.

LXVI. Bened. Arias Montanus præfatione in secundum tomum sacri adparatus: Quantâ integritate, in-
quit, sacra Biblia in eâ lingua, quæ sancta adpellatur, semper conservata fuerint, plerique doctissimi viri constanter adser-
tarunt; idque à nobis etiam aliquando demonstrabitur. Idem:

cent. 3. 6. 7
& 10.

FONTIUM
INTEGRIS
TAS.

Dei consilio factum putamus, ut cum magna Graecorum Latinorumque serè omnium ejusdem auctoris exemplarum, ac præsertim manuscriptorum, pluribus in locis varietas deprehendatur, magna tamen in omnibus Hebraicis, quæcumque nostro seculo inveniuntur, Bibliis, scriptionis æqualitas, similitudo & constantia servetur, quounque modo scripta illa sint, five solis consonantibus consistent, five punctis etiam instructa visantur.

LXVII. Hunc opponimus Alphonso Salmeroni, qui prelegomeno IV Comment. in Evangelicam historiam prolixè ostendere conatur, Veritatem five lectionem Hebraeam non esse sine plerisque vitijs & corruptionibus, ut non sit per omnia illi temerè fides adhibenda: sed potius translationibus Graecæ & Latinæ. Ejusdem sententiæ sunt Jacobus Episcopus Christopolitanus præf. in Psalmos, & Melchior Canus de locis Theologicis, l. II, cap. XIII.

LXIX. Verum evidentissima veritas ipsum Bellarminum hisce suis socijs contradicere coëgit. Et ipse Salmero sibi contrarius, ex fontibus dubia docet explicanda esse & emendandos errores, qui in vulgatam irrepserunt editionem, vel injuriâ & malitiâ librorum vel temporum.

V E R S I O N E S S. S C R I P T U R A E .
proleg.¹³
LXIX. Quum autem Verbum divinum latius propagandum esset, Hebræa verò lingua arctis terrarum limitibus clauderetur, primùm quidem translatum fuit in Graecam, omnium tum temporis usitatissimam, & eomunem gentium Mercurium. Inde quia tamen non omnes, ad quos Verbum pervenit, græcè noverant, cum Vetus tum Novum Test. in Latinam & alias translata fuere, prout usus & auditorum captus postulabat. Nam sunt varia dona, inter quæ etiam γένη γλωσσῶν καὶ ἐρμηνείας γλωσσῶν, quibus Ecclesiæ doctores instruit Spiritus sanctus τέος τὰ συμφέγγει. Semiperquæ non tantum licuit, sed
^{2 Cor. 12, 7}
^{& 10.}

opon

oportuit Scripturam quocumque vernaculo sermone interpretari. Sic Ulphilas Gothorum Episcopus apud Socratem primùm Scripturam in eorum linguam convertit, ubi ^{14.c. 27.} instituit animo, ut barbari illi sancta Dei eloquia perdisserent. Sic Theodoretus testatur, Hebraicos libros non modò in Græcum idioma conversos esse, sed in Romanam quoque linguam, Aegyptiam, Persicam, Indicam, Armeniacam & Scythicam atque adeò Sauromaticam, & breviter in omnes, quibus ad hunc diem, inquit, nationes utuntur. Sic Hieronymus multarum gentium linguis Scripturam jam olim translatam fuisse docet.

de adf.
Græc.l.s.

præf. in
Euang.

LXX. Græcæ versiones sex numerantur, quarum celeberrima est LXXII seniorum, qui seni è singulis tribubus à Ptolemeo Philadelpho acciti libros V. T. felicissimè & ad Hebraicam veritatem maximè adpositè translaterunt. Vide Joseph. Antiq. l. XII, cap. II; Epiphan. de pond. & mens. August. de doct. Ch. l. II, c. XV; de civit. l. XIX, cap. XLIII; & cumpriniis Aristæ unius ex interpretibus de hac re librum, qui à Josepho citatus etiamnum extat. Quoniam verò de eâ, quæ hodie nomen LXX præfert, dici non potest, quod de illâ prædicant Aristæas & Josephus, nemp̄ factam esse *ταῦτα τοιωταὶ κατὰ τὴν ἡπειρόν*, nullus dubito eam aut non esse germanam, aut certè miserè depravatam & interpolatam: nam etiam de suâ ætate testatur Hieronymus, per omnes ecclesiarum bibliothecas invaluisile exempla ejus ab Origene & Theodotione corrupta.

Ep. ad App.

LX XI. Altera est Aquilæ Pontici, qui è Judæo Christianus & è Christiano iterum factus est Judæus; Tertia Theodotionis Marcionitæ; Quarta Symmachi Ebionæ; Quinta inventa Nicopoli apud Actium littus; Sexta itidem

dem reperta in dolio apud Jericho temporibus Antonini Severi. De hisce, & quomodo inde Origenes confecerit sua Tetrapla, Hexapla & Octopla, consule Eus. hist. l. VI, cap. XII; Epiphan. l. de pond. & mens. & Athanaf. in calce Synops. qui sex istis septimam Luciani martyris subjungit, quæ videtur fuisse emendatio LXX; quam itidem ab Hesychio præstitam ex Hieronymo colligere licet.

*l. 2. de doct.
Christ. c. 14.*

*Seff. 4.
doc. 2.*

*Praefat. in
Iob. c. 2.
num. 4.*

LXXII. Latinas suo tempore complures fuisse, testis est Augustinus: ipse autem Italam quamdam cæteris præfert, quam verborum tenaciorem, cum perspicuitate sententiae esse dicit. Hieronymum quoque propriam dedisse constat; atque hanc ipsam esse volunt Pontificij Vulgatam illam: quod tamen non facile crediderit, qui legerit Hieronymum ostendentem multa aliter vertenda esse, quam vertit Vulgata. De hâc verò Tridentinistauunt;

ut in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus aut expositionibus pro authenticâ habeatur, & quod eam nemo rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.

LXXIII. Hoc verò barbarum & beluinum esse, nemo tam stupidus est, qui non intelligat, ut versio aliqua authentica sit, nec rejiciatur, si à fonte longiusculè abeat: imò fontibus rejectis ipsa præferatur. Neque enim Johannes Pineda veretur affirmare: *nihil sacrae autoritatis habet enī nisi quod in latino codice vulgato habemus*; non credo aliâ de causâ, nisi quia existimat Ecclesiam Romanam fontes suis decretis nondum confirmasse. Quoniam enim haētēnū ipsis neque cum sensu, neque cum consensu communī benē convenit, sibimet quoque tandem manus inferunt. Audiant enim iūs suum, quod ita ex Hieronymi Epistolâ ad Lucinium; *Ut veterum librorum fides de Hebræis volu-*

voluminibus examinanda est, ita novorum Græci sermonis normam desiderat. Hoc decretis insertum fuit.

LXXIV. Ejusdem Hieronymi præclara sententia Epistolâ ad Suniam & Fretellam legitur ista: *Sicut in N. T. si quando apud Latinos questio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Novum scriptum est Testamentum: ita in V. T. si quando inter græcos latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem.* Cum Hieronymo facit etiam Augustinus, qui ait: *Cum diversum aliquid in codicibus invenitur, ei lingue potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.*

1.15 de civ.
cap. 13.

LXXV. Nullo modo fieri potest, ut versio ita omnino reddat ut habetur in fontibus. Sunt verba, sunt proverbia, sunt sententiæ, sunt ambiguities, sunt mysteria primævæ linguæ, nec non Græcæ propria, peculiaria, quæ in aliam transfusa obscurantur, intricantur, interdum planè pereunt.

Vide Ariane
Mont. in
præfat.

LXXVI. Nihil nunc dico de vitijs quæ in Vulgatam versionem irrepserunt; quod discedat à fontibus; quod vitio temporum, & incuria librariorum depravata sit; quod ipsa ejus exemplaria aliter atque aliter habeant.

VERSIO
VULGATA

LXXVII. Longè modestius de suâ germanâ versione sensit Hieronymus, cui hanc, qualiscunque est, velit ipse aut nolit, adscribunt: is certè nemini illam obtrudi voluit. *Si cui legere non placet, inquit, nemocompellit invitum.* Et ad ipsum non veretur scribere Augustinus: *Et iam nobis videtur aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse.*

Ep. 11. apud
August
Ep. 10.

LXXIX. Neque hoc negat Hieronymus. Certè enim Interpretæ Prophetæ non sunt; falli possunt, & sensum quem exprimere laborant, non adsequi. Ipse Bellarminus, *Admittimus, ait, Interpretem non esse Prophetam, & er-*

lib. 2. de
Verb. c. II.

L

rare

rare potuisse, tamen dicimus eum non errasse in illâ verfone quam adprobavit Ecclesia. Nempe ideo (quisquis tandem ille) tunc non erravit, quia post aliquot secula Tridentini patres istam versionem decreto erant adprobaturi. Verum nimis ingenua, vel fortè imprudens est confessio Salmeronis : *Si integra sunt volumina Hebraeorum & sincera, (quod non audet negare Bellarminus) necessariò constendum est, editiones tum LXX Græcam tum Hieronymi Latinam, quæ illis non convenient, falsas esse & depravatas.* Neque sati satis cautè, et si satis rectè Ben. Pererius in ipso statim primo capite Geneseos v. 21; & in secundo v. 6 & 21 ex Hebreo longè aliter legendos & intelligendos esse docet, ac habentur in vulgatâ.

proleg. 4.

LXXXIX. Non autem dogmatibus suis fulciendis sufficere arbitrantur Pontificij, vel libros Apocryphos Canonicis adnumerare, vel pravam versionem pro fonte obtrudere, nisi eodem jure totius sacræ Scripturæ interpretationem attribuant suæ Ecclesiæ, cuius caput Pontificem dicunt, qui solus summus controversiarum judex sit, errare non possit, cuius vox tanquam divina & irrefragabilis audienda.

XXX. Et quid differant à Schwenckfeldio? Is neglecto verbo, suæ mentis speculationes sestabatur. Neque vero Pontificijs aliud verbum est, quam larva resque nihil, si non ex ipso verum ex mente Camilli Burgesij, sive (ut nunc postquam fastigium illud Romanum descendit, adpellari mavult) Pauli quincti, sensus ejus pertendus sit. Non enim quod ipsum, sed quod ille dixerit, auctoritatem obtinebit: neque sensus is fuerit, quem suppeditaverint ipsa verba & planus contextus, sed qui Luperco Vaticano arriserit, aut per somnum in somno oblatus fuerit.

XXCI.

S. SERI-
TURÆ
PERSPI-
CULTAS.
lib. 3, c. 2.

XXCI. Ut autem hæc aliquo prætextu facere vi-deantur, adsingunt Scripturæ inexplicabilem obscuritatem; planissimè ad morem nequissimorum hereticorum, qui, ut resert Irenæus, *cum ex scripturis arguuntur, in accusationem ipsarum scripturarum convertuntur, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non posse ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem.* Sic quoque Tatianus, auctor & antesignanus ille Encratitarum, (vide Iren. l. 1, cap. XXXI; Euseb. l. IV, c. XXVII; Hieron. in Catal.) qui sacrarum scripturarum sensus ac sententias pro suo arbitratu, ut ait Eusebius, interpretantur, quosque ut in hoc, ita in pluribus alijs magistros ha-bent Pontificij; is elaboravit librum quemdam questionum, quibus pollicebatur se sacras literas involutas & obscuras esse demonstraturum. Verum Rhodon Asiaticus, ipsius Tatiani quondam discipulus, contrà se easdem quæstiones in libro se-parato perspicuè soluturum promittit. Euseb. l. V, c. XIII.

XXCII. Non negamus quidem nos, in Scripturis esse, ut de epistolis Paulinis Petrus loquitur, *scripturæ tuae,* ^{2 Pet. 3, 16.} sive quædam explicatu difficiliora, *ad domandam labore superbiā,* ut optimè scribit Augustinus, & intellectum à fa-stidio removendum, cui facile investigata plerumque vilescent. Nam magnifice & salubriter Spiritus S. ita scripturas modifi-carit, ut locis apertioribus fami occurret, obscurioribus fasti-dia detergeret.

1.2. de doct.
Christ. c. 6.

XXCIII. Hoc autem idem Doctor recte subjun-git: *Nihil ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non alibi diculum clarissimè reperiatur.* Ante omnia igitur opus est Dei ti-more converti ad cognoscendam ejus voluntatem. — Nos nihil aliud dicimus, nisi quod hic dicit & docet Augustinus, nempe opem divinam esse implorandam, locum cum lo-

co, antecedentia cum consequentibus conferenda & consideranda, ut ad obscuriores loquitiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant.

ibid. XXCIV. Thesin itaque aliam non ponimus præter eam, quam posuit Augustinus, nimirum hanc : *In iis, quæ aperte in Scripturâ pocta sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moresque vivendi.*

XXCV. Eamque non nisi ex ipsâ Scripturâ probabimus. Deut. xxx, 11 dicit Dominus : *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè, non occultum est à te, neque longinquum est. Non in cælo est, ut dicas: Quis ascendet pro nobis in cælum, & capiet illud nobis, & audire faciet nos illud, &c.* Paulus 2 Cor. iv, 3: *Si opertum est Euangelium nostrum, iis, qui pereunt, opertum est.*

XXCVI. Quod si tota Scripturæ lux & intelligentia dependeret ab Ecclesiâ, cur ipsa diceretur lucerna pedibus nostris, Psal. cxix, 105; lucerna splendens in obscuro loco, 2 Pet. 1, 19; cur juberemur scrutari Scripturam Ioan. v, 39, si intelligi non posset?

XXCVII. Et certe fuit tempus, quo nulla in Scripturas exstiterunt Commentaria : quæ hodiè exstant antiquissima, Origenem habent auctorem; neque illa fortè ante ipsum fuerunt. Si itaque tunc ita obscuræ non fuerunt, ut absque Commentarijs intelligi potuerint, unde nunc illis tanta obscuritas?

Theod. l. r.
hist. cap. 7. XXCIX. Porro Ecclesia & Patres articulos fidei ex Scripturâ probant : unde Constantinus in synodo Nicenâ, literarum divinitus inspiratarum testimoniis, inquit, *res in quaestionem adductas dissolvamus.* Scripturam itaque ambiguam

biguam & obscuram esse non oportet, alioquin ridiculæ forent istæ probationes & dissolutiones.

XXCIX. Et si Scriptura obscura, culpa redundabit in Spiritum S. qui apertius scripsisse vel noluit, vel non potuit. Hoc non dixerint: sed nec illud, pugnat enim cum fine scribendi, qui est nostra doctrina, Rom. xv, 4.

XC. Scriptura itaque ita obscura non est, ut à belatore illo Romano, non ex ipsâ ejus sensus peti debeat. Ex ipsâ autem petere, est à Spiritu S. petere, qui auctor est scripturarum. Legem verò optimè interpretatur, qui legem tulit. Ergo & Scripturam optimè interpretabitur Spiritus S. in scripturis loquens. Atque tunc eodem spiritu & sensu intelligentur & explicabuntur, quo scriptæ fuerunt.

XCI. Laudantur Berrhoënses Act. xvi i, ii, quod Scripturas scrutarentur, num ita se haberent, quæ Paulus docebat. Si itaque Apostoli doctrina ex scripturis examinata fuit, oportebit juxta easdem aliorum adeoque Ecclesiæ & Pontificis sententias examinare, secundum illud Pauli, πάντα δοκιμάστε, 1 Thess. v, 2; & hoc Joannis, 1 Joan. iv, 1, δοκιμάστε τὰ πνεύματα.

XCH. Quum igitur nulla major esse possit auctoritas quam Spiritus S. loquentis in Scripturâ; & anathema sit, si vel Angelus de cœlo aliud Euangelium prædicaret, Gal. i, 8; homo denique errare possit, studio partium duci, neque ullus tantæ sit auctoritatis, ut fidem in nobis generare vel confirmare queat, hoc verò solus Spiritus S. per Scripturam efficiat: patet etiam de rebus fidei supremum judicium deferendum esse soli Spiritui S. prout in Scripturis loquitur.

XCHI. Quod si Ecclesia suum judicium interpo-

86 DE SACRAE SCRIPTURÆ

Ief.8,20. nat, facit hoc auctoritate non propriâ, sed alienâ, & ad hanc normam regulamque adstrictâ & limitatâ, ut fiat illud: *Ad legem & testimonium &c.* Sive itaque de explicatione ipsius Scripturæ sive de dogmatibus controvertatur, secundum scripturas expositio legitima est, sine periculo & sine blasphemia, ut ait Irenæus *I. IV, c. LXIII.*

S. SCRITURA
SUPPLICI-
ENTIA.

Io.20.v.ult.

XCIV. Sicut verò de obscuritate, ita quoque insufficientiâ Scripturarum clamitant, ut locus detur traditionibus non scriptis.

10,20.v.ult. **XCV.** Nos econtrâ credimus & statuimus, quod Scripturæ finis sit fides in Christum & per fidem vita æterna. Quod si insufficienter doceret, quæ huc pertinent, imperfecta foret. Atque ita à Spiritu S. profecta esset doctrina, per quam finis, in quem tamen ordinata, non possit haberi.

Galat.1,8. **XCVI.** Quod autem sufficiens & perfecta sit, ideoque nihil ei addere liceat, multis insuper modis probari potest. Si enim non licuit Judæis ad libros Moysis aliquid addere, Deut. *iv,2, & xxi, v. ult.* multò minus nobis licebit addere ad Canonem jam constitutum. Ideoque Paulus clarissimè: *Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et de sufficientiâ Scripturæ testatus, talem esse adseverat, *unde homo Dei perfectus fiat, & ad omne bonum opus instructus.*

2.Tim.3,17.

XCVII. Ita Psal. *xix, 8.* *Lex Domini perfecta, convertens animam; testimonium Domini fidele, dans sapientiam parvulo.*

i.r.de conf.
Euang.c.
ult.

XCIIX. Quæcunque scitu necessaria sunt, continentur dictis & factis Christi. At de ijs omnibus se scripsisse testatur Lucas, A&t. *i, i.* Unde Augustinus: *Quicquid Christus de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribens,*

bendum illis (Apostolis) tamquam suis manibus imperavit.

XCIX. Epulo, quiuni ab Abrahamo fratribus suis adparitiones mortuorum impetrare vellet, responsum tulit: *Habent Mōsen & Prophetas, illos audiant.* In Moseh i-
gitur & Prophetis continetur, quodcunque facit ad salu-
tem nostram. Unde Christus: *Scrutamini scripturas, quia videmini in ipsis vitam aeternam habere.*

C. Quantum verò ad TRADITIONES adtinet, ut tam-
dem ad ultimum Pontificiorum perfugium veniamus,
sciendum est vocabulum esse æquivocum. Primò Tradi-
tio vocari potest quicquid vel scripto vel vivâ voce tradi-
tur. Quo sensu tota Scriptura & quidquid ex Scripturâ vi-
vâ voce enarratur & explicatur, traditio est. Act.vi,14:
τὸν ἀπόδοντα ιησοῦν Μάρκον. Vulgata: *Traditiones, quas tradi-
dit, &c.* II. Testimonium, quod alicui rei perhibetur.
Talis traditio est Ecclesiæ testificatio de libris Canoniciis.
III. Ordinatio rituum externorum & ceremoniarum in-
differentium, quæ pro commodo & ratione temporum
mutari possunt: de quibus nulla specialia, sed tantum gé-
nerale hoc praeceptum exstat: *τὰ διάτυπα τοῦ διδαχῆς, διεγέμονες*
κατὰ τὰς τάξιν γνώσεως, 1 Cor. xiv,v.26 & 40.

CI. Quartò traditio, ut in hac controversiâ accipi-
tur, articulus aliquis fidei est ad salutem necessarius, qui
Scripturâ non continetur, sed per manus majorum ab
antiquitate ad nos usque pervenerit. Hoc sensu tradi-
tionem accipiunt Pontificij, & sub ejus involucro, quic-
quid ex Scripturâ probare non possunt, occultare conan-
tur. Estque una è præcipuis regni Pontificij columnis:
atque ægerrimè habet adversarios, quod è servitute hu-
iusmodi commentorum in libertatem nos vindicaveri-
mus. Staphylus itaque: *Si nulla heresis alia excitata esset à Lu-*
thero,

deconcord.
Luther.

thero, abunde id sufficeret, quod docuit nihil amplectendum, præterquam quod Deus ipse expressè, liquidò ac luculenter in sacris Bibliis sive jussorit sive prohibuerit. Certè ad destruendum regnum Pontificium sufficit; neque in eo fallitur: unde etiam Martinus Peresius; *Unus hic est*, inquit, *fons & origo omnium errorum*, quod nihil sit pro certo & indubitate in ijs, quæ ad Christianam adtinent pietatem, à quoquam fidelí recipiendum, nisi atramento mortuo in sacris codd. expressum inveniatur. Item: *Traditiones sunt caput & seminarium omnium ferè controversiarum*, quæ hodiè agitantur: & in quo uno si adversarij nobiscum vellent consentire, facile omnia, quæ nunc vexant Ecclesiam, dissidia soparentur.

CII. De hujusmodi traditionibus, quoniam suprà ostendimus scriptis esse comprehensa, quæcunque nos Deus ad salutem nostram necessaria scire voluit, certum est nihil eas esse, quam instituta hominum, de quibus Christus Marc. vii, 7, & Matth. xv, 9, ex Jes. xxix, 13: *Frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum.* Item Marc. vii, 9: *Pulchre abrogatis mandatum Dei, ut servetis traditionem vestram.* Item v. 13: *Irritum facientes verbum Dei traditione vestrâ, quam tradidistis.* Idem itaque judicium esto de traditionibus Pontificijs, quod de Judaicis, quas Christus Scripturis opponit.

CIII. Et si Veteris T. scriptura ita fuit sufficiens, ut omnes articulos fidei inde probarit Christus, probarint Apostoli, (quorum certè vestigia nos quoque sequi oportet) nunquam non rejeclis traditionibus seniorum, quanto magis hoc fieri poterit velamine ablato, & scripturis accessione & luce N. T. auctis?

CIV. Sic Paulus in Synagogâ Judæorum, per tria Sabbata differebat eis *καὶ τὰ γεγραῦτα*, Act. xvi, 2. Christus objur-

objurgat discipulos, quod tardi essent ad credendum omnibus quae Prophetæ locuti essent, Luc. xxiv, 25. Vicissim Paulus testatur, se credere omnibus quae in Lege & Prophetis scripta sunt, Act. xxiv, 14. Et alio loco: *Auxilium nostrum a Deo usque in hodiernum diem sicut testificans cum parvis tum magnis ad eum certos habemus, nihil extra dicens, quam quae futura Prophetæ loquuntur sunt & Moses, Act. xxvi, 22.*

CV. - Quæcunque igitur credenda & prædicanda sunt, ea habentur in scripturis Propheticis, &c quæ cum his consentiunt Apostolicis, sicut dicit Paulus suum Evangelium promissum per Prophetas in scripturis sanctis, Rom. 1, 2. Nihil itaque extra eas credendum aut prædicandum.

CVI. Omitto nunc, ne nimis prolixus sim, quod olim antiqui Hæretici, sicut hodie Pontificij, quando testimonia scripturarum eos defecerunt, ad traditiones confugerint; quod traditiones oblivioni & interitui obnoxiae sint; quod ob perversitatem & negligentiam hominum servari integræ non possint, unde Chrysostomus scripturis opus esse dicat, quia multi doctrinam corruptant: atque ideo traditionibus nihil incertius esse aut infirmius, quum tamen fundamentum fidei certum oporteat esse ac firmum.

CVII. Demum adduci possent testimonia Sanctorum Patrum, ut eò magis omnibus innotesceret, quemadmodum fuci illi & malè feriati hæretici latibula traditionum quæsiverunt: ita sinceros doctores nihil praeter scripturas recepisse, earumque plenitudinem, ut Ter-

Hom. 1. in
Math.

lib. adv.
Hermog.

tullianus loquitur, adorasse & veneratos esse.

CIX. Origenes tract. xxv in Matth. Debemus ad testimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrinâ,

M

proferre

90 DE SACRAE SCRIPTURÆ

proferre sensum scripturæ quasi confirmantem quem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum non est sanctificatum: sic omnis sensus qui fuerit extra divinam scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia non continetur à sensu scripturæ. Cyrillus in cap. ult. v. ult. Joannis: Non omnia quæ fecit Dominus scripta sunt, sed quæ scribentes putarunt sufficere tam ad mores quam ad dogmata, ut rectâ fide, operibus & virtute rutilantes ad regnum cælorum perveniamus in Iesu Christo. Augustinus in eundem locum: Eleæta sunt quæ scribebentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur. Hieronymus: Quod de scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quæ probatur. Item: Alia quæ absque auctoritate & testimonijis scripturarum, quasi traditione Apostolicâ sponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.

tract. 49. in
Joan.
Comm. in
23. c. Matth.
in 1. cap.
Hagg.

2. 2. quæst.
1. art 9.

quæst. 2.
prol.
quæst. 3.

CIX. Sed nolumus molesti esse citandis Patribus; tamtum è Scholasticis inferiorum ætatum scriptoribus, præcipuis ecclesiæ Pontificiæ doctoribus, quædam adducemus. Thomas ita sibi alicubi objicit: Sacra scriptura est regula fidei, cui nec addere nec subtrahere licet. Ergo illicitum fuit symbolum constituere quasi regulam fidei post S. Scripturam editam. Solvit autem ita ut antecedens concedat, dicatque Veritatem fidei in S. Scripturâ diffusè contineri, è quâ ut eliciatur requiri longum studium & exercitium: quoniam verò plerique alijs negotijs occupentur, necessarium fuisse ut ex sententijs S. Scripturæ aliquid manifestum summarie colligeretur: quod quidem non est additum S. Scripturæ, sed potius ex S. Scripturâ sumptum. Scotus exprestè dicit: Patet quod S. Scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori. Item: Sicut Theologia beatorum habet terminum, ita & nostra ex voluntate Dei revelantis. Terminus autem præfixus est eorum

SUFFICIENTIA.

91

rum quæ sunt in S. Scriptura, quoniam sic habetur Apoc. ult. Qui adposuerit ad hæc, adponet ei Deus plagas, quæ adponuntur in libro isto. Igitur Theologianostra de facto non est nisi de his quæ continentur in Scripturâ, & de his quæ possunt elicier ipsâ. Bonaventura: Est additio, in quâ additum est contrarium; & est, in quâ additum est diversum; & est, in quâ additum est consonum. Prima est erroris; secunda præsumptionis, quia præsumptio est dicere aliquid in S. Scripturâ omnino diversum ab his, quæ in eâ expressa sunt. Tertia fidelis instructionis, quia quod implicitum est, explicat. Durandus: Continentia S. Scripturæ fit dei mensuram exprimit. Idem 111, dist. xxvi, q. 11, docet nihil addendum esse supra S. scripturam, nisi quod camelucidet & declareret. Gregorius Ariminensis: Discursus propriè Theologicus est, qui constat ex dictis sive propositionibus in S. Scripturâ contentis: velex his quæ deducuntur ex eis: vel saltem ex alterâ hujus. Item: Ceterarum veritatum scilicet non sequentium ex dictis S. Scripturæ nullam dico esse conclusionem Theologicam. Hoc autem probatur ex dictis Augustini XIV de Trinit. cap. I; ubi dicit, se huic scientiæ tribuere, non quidquid ab homine sciri potest: sed illud tantum quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem dicit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Sed constat quod quodlibet tale vel expresse secundum se continetur in scripturâ, vel ex contentis in eâ deducitur: alioquin non ipsa sufficeret ad nostram salutem, & nostræ defensionem fidei &c. Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracensis: Tunc solum dicimus aliquid Theologicè probari, quando ex dictis S. Scripturæ concluditur. Item: Principia Theologica sunt ipsæ sacri canonis veritates, quoniam ad ipsas sit ultima resolutio Theologicî discursus; & ex eis primò singulæ conclusiones Theologicæ deducuntur. Gab. Biel: Omnia credenda in Scripturâ Canonica continentur.

M. 2

CX. Ex

in prol. ad
lit.

pref. in M.
sent.

prol. q. 1
a. 2,

1. sent. qu. 1.
a. 3. EE.

3. dist. 25.
q. un. a. 1.
not. 1.

CX. Ex hisce nemini obscurum esse potest, eos qui hoc seculo Romanum Apollinem venerantur, non tantum ab antiquioribus, & quibuscumque sanioribus, verum à feme & suā ipsorum factione dissentire; & sufficientiam Scripturarum à suis magistris constanter assertam nunc oppugnare non nisi è desperatione, quòd intelligent malam caussam aliter defendinon posse, atque idèo ut cum rectè sentientibus videantur strenue depugnasse, fulminibus in propria viscera sèvire.

Deus nos in veritate conservet.

DISPUTATIO V.

DE PECCATO.

THEISIS I.

V Oluntatem Dei de nobis servandis & liberandis è malis in quæ præcipites dati sumus, rectè cognoscemus ex sacrâ scripturâ, ejus voluntatisteste ac indice; ubi priùs quodnam illud malum, & quotplex, & quale, ex eâdem cognoverimus.

II. Peccatum igitur quum sit quod nos Deo invisos reddat, & ab ejus gratiâ seclusos miseriarum & pœnarum reos faciat, de peccato hoc loci tractationem instituemus, uteò commodiùs cognito morbo, de remedijs cogitemus, & qualia ea nobis divinitùs concessâ sint, consideremus.

PECCATA-

T U M.

I. Ep. cap 3.

v. 4.

III. Peccatum benè & perspicuè describit Joannes: *η απρία ἐστὶν ἀροπία.* Quicquid igitur contra legem Dei est, peccatum est, sive sit commissio, sive omissione, sive habitus, sive dispositio, sive privatio, sive connascatur, sive agatur.

IV. Sum-